



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum  
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1614**

Med. 45. De primo verbo, quod in Cruce Christus dixit, quo orauit pro suis  
hostibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

## MEDITATIO XLV.

DE PRIMO VERBO CHRIST  
*sti Domini in Cruce, quo ater-*  
*num suum Patrem pro*  
 *suis hostibus ora-*  
*uit.*

## PUNCTVM I.



ENDENS Christus in cru-  
 ce, opprobria sannasque sus-  
 tinens, quas retulimus: post  
 longum tandem silentium  
 aperiens suum os sacrati-  
 simum, septem verba sine  
 sententias protulit: qua-

<sup>a</sup> Luc. 23. 54. rum prima fuit, a Pater dimitte illi, non enim sciunt quid faciunt. Aperi o anima mea aures tuas, vt audias; siquidem celestis Magister, aperit os suum in cathedra cruois, vt loquatur. <sup>b</sup> Loquere Domine, quia audit seruus tuus: & siquidem tu es <sup>c</sup> Verbum æterni Patris, Incarnatione, & Passione tua abbreviatum, prælege mihi breuem aliquam lectionem, quam liceat memoria retinere, & intellectu ruminare, totoque meo corde & voluntate amplecti.

PRIMA itaque lectio, quam Magister hic celestis prælegit, primumque verbum quod

in cru-

in cruce loquitur, totum est amoris, quo orat pro ijs, qui ipsum crucifigunt; illos quomodo poterat excusans, ostendens in hoc infinitam suam charitatem.

**P E R P E N D A M** igitur primùm occasionē, qua loquitur, & mox singula ipsius verba, & effectus denique quos hac oratione efficit.

**P R I M V M**, igitur, Christum Dominum nostrum considerabo, doloribus & tormētis, in omnibus sacratissimi sui corporis membris plenum, nulla in durissimo illo crucis lecto inuenta requie; circumdatum præterea tot suis inimicis, qui eum crucifixerant; qui etiam tunc seipso oblectabant, videntes illū adeo afflictum, & recentes afflictiones illi adferentes; horrendis iniurijs & blasphemijs aperientes; ora sua; labia, & capita mouentes in eius contemptum & opprobrium. Hoc itaque tēpore, & hac occasione, eleuat Christus Dominus noster oculos suos ad cælum, & lachrymas pro eis fundens, suum aperit os; non sicut d *Elias* vt peteret *descendere ignem de cælo*, qui d 4. Reg. 1.  
eos *denoraret*; nec vt e *Noë*, & *f Eliseus*, qui 10.  
*maledixerunt* iis, qui ipsos irridebant; Sed vt e *Gen. 9. 24.*  
oraret æternum Patrem, vt ignosceret illis f 4. Reg. 2.  
peccatum, quod in eo crucifigendo & substan- 24.  
nando, committebant; plus ipse dolens de incommodis, quæ illis propter hanc culpam erāt euentura, quàm de tormentis & iniurijs, quibus afficiebatur ab ipsis; ita re ipsa explens, g *Matt. 5. 44.*  
quod prins faciendum docuerat: g *Luc. 6. 27.*

micos vestros, & orate pro ijs, qui vos persequuntur; & quod de ipso erat prædictum  
 hysai. 53. 12. quod h pro transgressoribus rogavit pro ijs, videlicet, qui omnes charitatis, pietatis, iustitiæ, & gratitudinis leges, maxima omnium quæ vnquam fuit in mundo crudelitate & ingratitude, contra ipsum sunt transgressi. O amantissime I E S V, quam apertè ostendisti te esse Deum amoris & ipsammet charitatem, siquidem i aqua multa talium persecutionum non potuerunt extinguere charitatem tuam: nam potius ad eam illa eis est accensa, ut flammam suam ad cœlum vsque leuaret, rogans cœlestem Patrem, ne eos castigaret, qui in tantis te laboribus constituerunt! talem mihi, quæso Domine, charitatem concede, quæ & ego meos diligam inimicos, & pro ijs orerem, qui me persequuntur. siquidem hostes tuos, etiam meos reputo: ignosce omnibus; Pater misericordiarum, vt omnes illis fieri possint. Amen.

i Cant. 2. 7.

## PUNCTVM II.

I.

DEINDE singula breuis huius orationis verba perpendam, quorum primum est P A T E R, ad quem suam dirigam petitionem: etsi enim ad seipsum, quæ Deus erat, spectaret, illis ignoscere; maluit tamen, quæ homo, hoc à Patre petere. nam petens ab illo illis ignosci, satis apertè significabat, se ex parte sua ignouisse: hac ratione officium explens summi sacerdotis a seipsum offerens se

2 Heb. 9. 4  
14.

cris. am.

crificium pro peccatis & ignorantijs populi, magno seruore Deum pro illis orans. Non dixit autem: Deus dimitte illis; sed: PATER, vt intelligeretur, non amisisse ipsum fiduciam, quam in illo habebat, & vt beneuola hac cōpellatione magis ipsum obstringeret, ad exaudiendum & dimittendum ipsius inimicis, qui tanquam Pater, *b solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* O supreme & misericors Pater, cuius tanta fuit charitas, vt iustitiæ solem, filium tuum vnigenam volueris venire in mundum, vt lucem, calorem, & vitam gratiæ mortalibus adferret, suæque doctrinæ pluuia etiam peccatorum terram irrigaret; respice eundem diuinum solem in cruce iam prope Occidentem, vt occumbat, & nobis occultetur; qui etiamnum diuini sui amoris radios inflammatos emittit, pro suis persecutoribus rogans: exaudi eius accensam orationem, & propter eam mitte de cœlo, gratiæ tuæ pluiam super omnes; vt omnes te & illum agnoscant; & rarum excellentissimæ charitatis ipsius exemplum imitentur.

b Mat. 5. 45.

II.

SECUNDUM verbum est, DIMITTE ILLIS: nec exprimit; hanc iniuriam dimitte, qua me afficiunt; sed vniuersim illis dimitti petit. id enim ipse in votis habebat, vt omnia illis peccata, nullo excepto, dimitterentur. Quo etiam ostendit, se non tam ob iniuriam propriam moueri, quā ob illatas

Patri

Patri suo; à quo propterea petit, omnes dimitti. Nec addidit dimitte illis, *quime crucifigunt aut subsannant*; sed dimitte illis: noluit enim tale verbum suæ orationi interere, quo illi viderentur accusari; aut Patris ira irritaretur: ac denique quia dimitte petebat, non solum illis, qui tunc re ipsa illum crucifigebant; sed illis etiam, qui suis peccatis, crucifixionis ipsius causa extiterunt: quos in sua etiam memoria præsentis habebat, pro utrisque igitur dixit, **DIMITTE ILLIS**. O charitatem liberalissimam & latissimam **I E S U**, quæ ad omnes peccatores te extendis, nullo excludere eorum, qui sibi dimitti & veniam obtinere volunt. Excita Domine, & transfige illorum corda, ut omnes sese disponant ad percipiendam veniam, quam illis offers, & participes fiant fructus orationis, quam pro illis fundis.

**III.**

**VLTIMVM** verbum fuit, **QVIA NESCIVNT QVID FACIUNT**. Quo verbo excusat prout potest suos inimicos. est enim multorum illorum ignorantia, nimis erat culpa, affectata, ac propterea nõ sine gravi culpa huius tamen pijssimi Redemptoris charitas, quicquid inuenire potuit adhibuit, ut operiret, & excusaret multitudinem & gravitatem peccatorum illorum: quæ etiam causa, ad omnes alios peccatores, suo modo se extendit: omnes enim aliquo ignorantia gradu laborant non agnoscetes ut oporteret, quis Deus sit, quem offendunt; & quàm sit horrendum

eundem

eundem offendere; quanta bona illum offendendo amittant; & quam horrenda mala sibi accersant. Si enim hæc omnia noscerent, eum non offenderent: Ideoque etiam illis adaptari potest illud Apost. *c si cognouissent, perfectè & c 1. Cor. 2 8.*  
 ut ratio ipsa exigit, *nunquam Dominum gloria in seipsis crucifixissent.*

HANC excusationem Christus Dominus noster adiecit, non solum ut infinitam suam charitatem ostenderet, ac desiderium, quo renebatur, ut Pater omnibus peccatoribus dimitteret: sed ob duplicem etiam alium finem. Altera est, ut nos ad magnam in ipsius misericordia fiduciam permoueret: si enim ipse nos excusat, quis accusabit? *Qui (ait Apost.) ac d Rom 8.33.*  
*cusabit aduersus electos Dei? Deus, qui iustificat; quis est qui condemnet? Christus IESVS? qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis?* Altera causa & finis fuit; ut nobis exemplum daret proximorum nostrorum defectus excusandi, etiam si nostri sint inimici; ignorantiae potius, aut inaduertentiae, aut zelo, aut intentioni alteri minus malae tribuentes, si quid aduersus nos fecerint; ita ut non solum eos non accusemus, nec illatam nobis iniuriam extollamus; nec propter eam optemus, eos à Deo castigari; sed quo licebit meliori modo eam extenuemus & excusemus, ea excusatione potius utentes apud Deum tanquam titulo & ratione ut illis dimittat. O Saluator dulcissime, quam apud præ hodie *e consciendisti, montem m. j. ha & c Can. 4.6.*

*coll. m. thuris*, coniungens in Caluaria ubi  
 monte myrrham amarissimæ mortificationis,  
 & thus orationis accensissimæ. Conforta cor  
 meum, Domine, hac myrrha, vt eam ample-  
 ctatur; & hoc thure, vt illud tibi offeram,  
 tuam semper quærens gloriam, per omnia  
 sæcula.

## PUNCTVM III.

**V**LTIMO considerandi sunt effectus ho-  
 ius orationis Christi Domini; nam pro-  
 mum Pater æternus eam exaudiuit; se-  
 nim (Scriptura teste) *humilium & mansueti-  
 rum semper illi placuit deprecatio*; quanto magis  
 eidem placuerit humillimi & mansueti-  
 simi filij eius oratio, qui (vt Apost. ait) *in lac-  
 bus carnis sue, cum clamore valido & lacryma-  
 bus preces in cruce funderet exauditus est pro sua  
 reuerentia*, ob respectum videlicet infimæ  
 dignitatis qui personæ eius debebatur; & ob  
 eam reuerentiã, qua seipsum Patri humilians,  
 eidem detulit honorem. Et ita propter hanc  
 orationem Christi Domini, multi Iudæorum,  
 qui illic adfuerunt, obtinuerunt remissionem  
 peccatorum, quos S. Petrus in ipso die Pentecostes  
 conuertit, non tam prædicatione sua,  
 quam virtute huius orationis Christi, propter  
 quam etiã datur venia omnibus peccatoribus,  
 qui illam petunt & recipiunt. O Pater æternus,  
 audi orationem filij tui, & dimitte mihi pec-  
 cata omnia, quæ contra te admisi. Dimitte mihi,  
 Pater misericordiarum, quia nesciui quid  
 face-



facerem, cum te offendi; & quamuis non is ego  
 sim, qui merear exaudiri, id meretur filius tuus  
 & quia talis est; & quia tantam semper tibi re-  
 uerentiam exhibuit.

LICET etiam hic perpendere effectum,  
 quem hæc oratio in SS. Virg. S. Ioan. & piis a-  
 liis, qui aderant, effecerit. qui omnes tantam  
 videntes charitatem obstupuerint; simul verò  
 planxerunt, videntes tanto dolore, cruci affi-  
 xum eum, qui tanto amore pro suis persecuto-  
 ribus rogauit, præcipuè verò sacratissima ipsa  
 Virgo, filij sui exemplo permota, eandè mox  
 charitatem, in suos inimicos exercuerit; & au-  
 ditam à filio orationem repetens dixerit, *Pa-  
 ter, æterne, dimitte illis, quia nesciunt, quid fa-  
 ciunt.* O quantoperè hæc humillimæ Virginis,  
 & præ omnibus puris creaturis mansuetissime  
 placuerit oratio, quàm benè fuerit in cœlo ac-  
 cepta, quæ orationi filij coniuncta, inuenit ad  
 desideratam remissionem obtinendam. O pec-  
 catorum aduocata, age quæso meam causam  
 coram Deo, petens demitti mihi, vt qui nesci-  
 uerim, quid agerem. Eidem huic Christi Do-  
 mini orationi attribuere licet conuersio-  
 nem boni latronis, & Centurionis, a-  
 liosque effectus, in subsequen-  
 tibus meditationibus  
 adnotandos.